Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Visual Library

diœceſis locis eò venerint, quò peruenire contendunt; etiam ſi locus is non ſit in noſtræ diœceſis finibus, talarem togã atque adeo alias veſtes ita induant, vt prouinciali Concilio de clericali habitu, noſtriſq; literis aliàs edictum eſt.

Prou. 1. p. 2. de cler. veſt. &c. pag. 18.

Cùm autem vel itineris, vel cœli grauitate, vel capitis morbo, vel per pluuias, aliave cauſa illos pileo vti oportet; is eiuſmodi ſit, qui à militaris pilei forma diſtans, non turbinis ſpeciem præſeferat, ſed talis denique ſit, qui ordinis clericalis hominem deceat.

Decretum. XXX.

Explicatio decreti de ſacerdotali menſa in feſtorum celebritate. Prou. 1. p. 2. de armis ludis.

ET quoniam prouinciali noſtro Cõcilio vetitum eſt, quo tẽpore vel ſacrorum, vel exequiarum cauſa in vnum clerici congregantur, ad menſam non plures quàm ſex, eoſque clericos adhiberi: id quoniam non facilè in noſtra diœceſi locum habere poteſt, cùm Eccleſiæ ferè vniuerſæ longius inter ſe diſtent, graueque eſſe poſſit clericis de itinere feſſis mane eodem die ad Eccleſiam ſuam redire; id propterea licere volumus parocho tot conuiuas in menſa habere, quot ex Vicarij Foranei facultate ſibi permiſſum erit: modò tamen nè in ijs ipſis vllus homo laicus ſit; illudq; præterea ſeruetur, quod in parochialibus conuentibus de frugali ſacerdotaliq; modeſtia à nobis præſcriptum eſt; & ſacra item lectio in menſa perpetuò adhibeatur.

Ibid. de vic. for.

Decretum. XXXI.

Explicatio decreti de canonicalibus ædibus. Ibid. de clerical. ædib. pag. 19.

QVOD prouinciali noſtro Concilio de Canonicali item ædium vſu & habitatione decreuimus; id locum etiam habere declaramus in illis Canonicalibus ædibus, quæ ad Canonicorum domicilium conſtitutæ, vel in emphyteoſim datæ ſunt, vel pignori hypothecæve tenentur, ob ſumptus qui à conductore in illis ſarciendis aut reſtituẽdis facti ſunt; modò tamen eiuſmodi ædes in Canonicalis domicilij ambitu ſint.

Decretum. XXXII.

Explicatio decreti de ijs quæ in feretro adhibent. prou. 1 de fun. pag. 35.

QVOD noſtra conſtitutione, quã Prouinciali Concilio confecimus, de ijs quæ in feretro & in efferendis mortuis adhibentur, decreuimus; in eo decreto conficiendo animi noſtri ſenſum eum fuiſſe declaramus, vt nihil eo ipſo decreto illis parochialibus Eccleſijs, vnde mortui aliò efferuntur, ademptum atque detractum eſſe velimus de ea canonica portione, quæ illis vel iure vel conſuetudine debeatur.

Decretum. XXXIII.

Explicatio decreti de cruce in funere ferẽda. prou. 1. vtſ. §. ſingularũ.

QVOD de cruce in funere ferenda noſtro Prouinciali Concilio conſtituimus his verbis, VT ALIÆ CRVCES IN FVNERE NON DEFERANTVR, NISI QVAS SVVS QVANQVE CLERVS SVBSEQVATVR; quoniam à plerisque aliquando quæſitum eſt, an illius decreti auctoritate, Eccleſijs etiam non collegiatis, ſacerdotes tamen & clericos aliquot habentibus, in eo funeris officio cruce propria vti liceat; nè in poſterum ea res controuerſa ſit, neve inde vlla exiſtat quæſtio, hoc Synodali decreto mentis noſtræ ſenſum ita exprimendum cenſuimus, vt de Collegiatis ſolùm Eccleſijs, neque de vllis præterea alijs, illa prouinciali noſtra conſtitutione ſancitum eſſe declaremus; idque ita planè à nobis expreſſum, ſine vlla controuerſia ſeruari iubemus.

Decretum. XXXIIII.

Conuerſæ moniales ad funus ne prodeant.

CVM ad nos delatum ſit, nonnullas moniales, quæ conuerſæ vocantur, in ipſis Monaſterij ſeptis habitantes, quæ item profeſſionem confecerunt, eas è Monaſterij ſui finibus ad funus prodire, idque ſit contra Summi Pontificis Pij Quinti conſtitutionem, quæ eſt de clauſura Monialium; nos propterea vt huic rei occurramus, illud ijs ad quos ea funeris cura pertinet, edicimus, vt ne eas in funere eſſe patiantur, ſed in Monaſteriũ ipſas redire curent.

Quòd ſi redire neglexerint, recuſarintve; illarum nomina ad nos deferant, vt rationem aliquam ineamus de ipſis in Monaſterio retinendis & puniendis: id quod ipſius Pontificis conſtitutione ſancitum eſt.

Parochi præterea & alij funerum curatores in eo etiam vel ſummam diligen

tiam